Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 507
Quelle:
Copyright:

tibus uiam fecit. Quomque multa de prima deorum inuentione disseruisset, sic adiecit: Denique ipsi reges, quom cari fuissent ijs, quorum uitam composuerant &c. quae sunt verba *Lactantii* L. I. c. 15. Quis vero *Laureatus* ille? Quod Scriptum ejus *de Officio Religiosorum?* Ne te teneam, Lector! *Franc. Petrarcha* est, Poeta *Laureatus;* Scriptum ejus *Libri II. de Otio Religiosorum*, qui extant in edit. *Opp. Basil.* 1581. p. 294. f. Locus ipse habetur L. I. p. 302. at quantum diversus! Ita nos naso suspendunt Librarii.

II. *fol.* 179. praemisso *Hieronymi* loco e L. *de Viris illustribus*, qui est *Caput* LIII. *Incipit Appollogeticum Tertulliani.* Ita quidem: *Si non licet vobis romani imperij antistites* &c. Textus cum edit. *Havercamp. Lugd. Batav.* 1718. paucis demtis minutiis conspirat. Ita C. 1. habet: *et aperto et edito* pro *in aperto et edito;* dein: *si ad hanc solam* (caussam) pro *si ad hanc solam speciem;* item: *iniquitatis et odii* pro *iniquitatis odii;* tum: *cum agnoscitur* pro *cum cognoscitur;* demum: *tamen hoc ipso* pro *tamen hoc ipso modo.* In calce adjecit Librarius:

Contigimus portum, quo mihi cursus erat.
Siste gradum.

III. *fol.* 214. sequitur *Fabularium*, seu Mythographia in Capita 173. tributa cum *Probemio* et *Prologo*, quorum illud incipit: *Fabulas poetę a fando nominauerunt. quia non sunt res facte sed tantummodo ficte. Quae ideo sunt inductę, ut fictorum mutorum animalium inter se colloquio imago quędam uitę hominum nosceretur. Has primum inuenisse traditur alcimon crotoniensis.* Unde hoc Noster? Dividit dein Fabulam in *Hisopicam*, (Aesopicam?) seu Sermocinationem Animalium inter se, et *Lybisticam*, seu Confabulationem eorum cum Homine; item in Fabulas aut delectandi caussa, aut ad explicandam Rerum naturam, aut ad Mores informandos fictas, hancque divisionem illustrat exemplis e Mythologia, *Horatio, L. Judicum* et *Demosthene* petitis. *Prologus*, qui agit de Ortu falsorum Numinum, eorum Nominibus et Stoicorum de uno Deo Sententia, incipit: *Hi quos pagani deos asserendo uenerantur: homines olim fuisse produntur* &c. Caput I. inscriptum *Fabula Saturni* ita init: *Saturnus cęlii & polluris* (Pollucis) *filius, opis maritus deę, Senior uelato capite, falcem ferens pingitur* &c. *Fab. Planciad. Fulgentius* L. I. *Mythologici* sui c. 2. ita orditur: *Saturnus Pollucis filius dicitur, Opis maritus, senior, velato capite, falcem gerens* &c. Vides igitur, Mythographum nostrum uti *Fulgentio*, idque conferenti per totum patet. Ita c. 31. de Venere: *Concam marinam portare pingitur. quod huius generis animal toto corpore*

simul